



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XVIII. De Advocato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

autem est caput & fundamentum rationum. Mev. P. 3. Dec. 180. n. 1. Itaque etiam tutoris heredes ad Inventarium tenentur.

Limita, ut si non semper sciendum sit Inventarium solenne, ad minimum tamen teneantur ad juratam specificationem.

III.

Quoties quis ex administratione sua convenitur, toties provocare potest ad locum gestae administrationis. *tot. tit. C. ubi de Ratjocin.* Quia ibi, ubi administratio gesta, facilius est probatio, & videtur administrator ibi quasi contraxisse & se suas rationes loco illi subiecisse. Exempli loco vid. Carpz. L. 3. Resp. 33. num. 10. & Mev. P. 8. decis. 267. ubi dicit, remittendum esse ministrum, qui ad rationes tenetur, ad locum, ubi aliena administravit.

Limita, ut procedat, si ratione administrationis sint examinandi, non si saltem editio rerum petatur; cōdex enim rationum extra locum administrationis peti potest. Carpz. d. Resp. 33. num. 20.

IV.

Quoties quis in administratione rerum peccat, toties minus punitur. *l. tres tutores 55. ff. de adm. Tut.* Quia talis non tam invito domino rem contrectat, quam potius perfide agit. Quae perfidia purgari potest actione ex contractu. Exempla sunt in tutoribus, curatoribus, quastoribus &c. si aliquid ex rebus fidei suae concreditur intervertant. Idem in depositario, commodatario &c. adstruit Carpzov. *Pr. Crim. q. 85. n. 65.*

Declarat: nisi manifeste constet de animo furandi, item in administratore publici frumenti. Brunnem. *ad l. 3. C. de condit. in publ. borr.*

De administratione Tutelae vid.

Tutela.

V.

Administrator quilibet tenetur rationes reddere, Brunnem. *ad l. 5. C. de Exat. Trib.* & quidem tributorum non finito officio, sed singulis quadrimestribus. Brunnem. *ad l. 1. C. de Apoch. publ. in fin.*

VI.

Nullus rei alienae administrator, adeoque nec procurator fisci, exceptionem non numeratae pecuniae habet. Brunnem. *ad l. fin. C. de Apoch. publ.*

VII.

Administrator ab officio suspensus vel de mala administratione accusatus, nec ad pristinam nec ad novam dignitatem aspirare potest. Perez. *C. de Reis postulat. n. 3. 4.*

VIII.

Administrator quandoque ei, cujus negotium gessit, damnum vel non, vel sortem tantum, vel sortem & usuras rescire tenetur. Vid. Perez. *C. de his qui ex officio. num. 1. 2. 3.*

CAP. XVI.

De Adoptione.

Axioma I.

Quicumque per naturam pater esse nequit, ille nec per legem seu adoptionem, quia adoptio naturam imitatur §. 4. *Inst. de adopt.* ubi exemplum. Ita ergo hermaphroditus, in quo virilia praevalent, adoptare potest; at in fratrem quis adoptare nequit. *l. 7. C. de her. suscip.*

II.

Quicumque incapax est patriae potestatis, ille adoptare non potest, v. g. foemina, nisi in solatium liberorum amissorum §. 10. *Inst. de adopt.*

III.

Statutum loquens de filiis non intelligitur de adoptivis. Gail. *L. 2. obs. 136. n. 16.*

CAP. XVII.

De Adulterio.

Axioma I.

Quoties actu secundo matrimonium non affuit, seu quoties adest impedimentum cohabitationis, toties ordinaria adulterii poena remitti solet, quia sic persona adulterium committens non peccat ex intemperantia pro objecto vagas libidines habens, sed ex quadam incontinentia, quae licet ab omni poena non eximat, liberat tamen ab ordinaria. Carpz. *Pract. Crim. q. 61. n. 53. & decis. 291. num. 4.* Ita ordinaria poena remittitur, si persona, respectu cuius fœdus conjugale violatum est, furore aliove morbo contagioso laboret, si debitum conjugale denegaverit diutius, si separatio à thoro & mensa decreta fuerit.

Amplia, ut etiam procedat in poena adulterii non capitali, nam & hæc eo casu est mitiganda.

II.

Adulterium semper committitur, si concubitus intercedat cum aliena uxore: hinc non excusatur ille, qui conjugatam more meretricio se prostituentem cognoscit. *Gloss. in l. fœda q. 2. C. ad L. Jul. de adult.*

CAP. XVIII.

De Advocato.

Axioma I.

Advocati illustrium & spectabilium judicum nil sordidum & grave munus subire tenentur, etiam non adimpleta advocacione. Ceteri omnes autem post advocacionem viginti annorum ab omnibus muneribus personalibus & sordidis, etiam hospitacionibus sunt immunes, possunt, ubi voluerint, commorari, commodis & privilegiis suis uti, nec adstringi ut aliena negotia suscipiant. Perez. *C. quib. muner. excus. n. 3.*

II.

Advocato justum debetur salarium nec ille postulare tenetur pro vili pretio. *Viv. i. decis. 123.*

Limita: pauperibus advocati patrocinari debent gratis & sine ullo vocis pretio. *Gail. L. 1. obs. 43. n. 11. segq.*

CAP.